



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Parallela Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1649**

§. 3. In Noruegiâ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13167**

artificio elaboratæ, & in iis aliquot hominis forma. *Olaus lib. 2.*

In parte Septentrionali Sueciæ Vrſi, & Cerui candidi ſunt. *Nierembergius, & plerique alij.*

In eadem parte Septentrionali tantum frigus plerumque deſæuit, vt fictilia vaſa paſſim frangantur, & aliquando clauſi ex portis, atque ſeris exiliant. *Olaus lib. 2. cap. 12.*

In iisdem locis capiuntur vituli marini, quorum adipe perlitæ ocreæ numquam afflantur fulmine. *Geſnerus.*

In Finlandiâ *Nigri* Fluiuius omnes piſces nigros alit. *Olaus, & Scaliger exercitatione 59.*

In Liuoniâ cuniculi æſtate cineritij, hyeme candidi ſunt. *Henricus Soterus in ſuâ Sueciâ.*

### §. 3. In Noruegia.

AD littora Noruegiæ ad eò profundum mare, vt quamuis eò deductæ fuerint naues plenæ funibus, numquam tamen ſolum potuit explorari. *Olaus Magnus lib. 2. cap. 12.*

In eodem mari captus eſt piſcis, vultu & cucullo Monachum referens, cuius imaginem exhibet in libro ſuo de Monſtris *Aldroandus.*

Ibidem ſæpe capti Tritones, & duo recens in Germaniam indidem aduecti. *Eufebius Nierembergius.*

Ad Occidentale latus Noruegiæ viſitur ingens vorago, quam vocant veteres Umbilicum maris, Anhelitum & Nares mundi, nunc *Maelſtroome*, ſeu meliùs *Monskeſtroome*, à Naucleris *Nauer der lee*, hoc eſt Maris Umbilicus, ante Inſulam, ſeu ſcopulum *Vveeroy*, vbi ſingulis ſenis horis creſcente Oceano aqua deorſum in Barathrum deuoluitur, tantâ vi, & rotatione, tamque incredibili vndarum ſtrepitu, vt verbis exprimi non poſſit. Econtra eadem vnda Oceano decreſcente, ruruſum ex imo emergit, atque attollitur tanto impetu, vt nulla moles, nullus quantumuis vaſtus piſcis in fundo conſiſtere poſſit, & tunc naues ipſæ mercibus onuſtæ aliquando remittuntur. Patet hæc vorago in ambitu ad 40. millia paſſuum, & malè ab Gerardo Mercatore ex relatione Pſeudomonachi in regionem polo ſubiectam reiicitur. *Lucas Aurigarius, Ortelius, Sylueſter Cambrenſis, Olaus, &c.*

Sola Normannia (ſic Noruegiam vocat) vulpes habet nigras, lepo-

Iepores & vrfos albos, qui sub aquâ vt Vri viuunt. *Magister Adamus Canonicus Bremensis de fitu Dania.*

In Noruegiâ aër aliquando omnino corrumpitur, muribus quibusdam morientibus quos *Lemmer* appellant indigenæ. Hinc morbus oritur inducens in caput vertiginem, & per totum corpus aturiginem effundens. *Cardanus lib. 1. variarum cap. 4.*

Addit *Olaus* hos mures esse variegatâ pelle, cum imbre de cælo cadere, & diu dubitarum, vtrum in aëre formarentur; opinionem hanc refutatam esse, ex quo in eorum aluo herba reperta est.

*Olaus.*

In Noruegiâ fons omnia in lapides mutat, ligna, lina, &c. per annum immerfa. Id probauit Episcopus Oxippale regnante *Guçialdemaro Rege Danorum. Syluester Cambrensis.*

Prope *Nidrosiam* lacus omnibus congelatis, atque rigentibus numquam concrefcit. *Olaus lib. 1. cap. 27.*

Aër in Noruegiâ adeò frigidus, vt plerumque præcordia occupans, atque stringens priùs homines interimat, quàm se dolere sentiant. *Barclaus in Icone Animorum.*

In Septentrionalibus lacubus congelatis, sub ipsâ glacie obventum inclusum, non minor auditur sonus, quàm sæui tonitruui ex densitate nubium in lateribus coarctati. *Olaus Magnus lib. 2. c. 4.*

§. 4. In Islandia.

HECLA mons semper obductus niue perpetuis ignibus exæstuat, & plerumque lapides eructat. Certè anno 1580. tanto cum fragore & tumultu saxa eiaculatus est, vt ad 80. milliaria grandiores machinæ displodi putarentur. *Georgius Bruno.*

Ad eundem montem *Vorago* quædam, ad quam apparere solent demortuorum manes, & cum ambulatibus colloqui; neque detegitur error nisi cùm spectra ab oculis euanuerint. *Angrimus Ionas Islandus, & Olaus cap. 3. lib. 2.*

In hâc Insulâ fons est aquæ fumigantis, quidquid fumi huius exhalatione efflatur, in lapidæ naturæ duritiem transmutatur, formâ duntaxat superstitæ. *Andreas Velleius Danus.*

Est hîc quoque fons aquæ pestilentis, quem qui gustauerit perinde ac veneno necatur. *Idem Velleius.*

Sunt & ignes qui cùm linum amburere nequeant, aquæ ta-

*Parall. Geogr. Tom. II.*

B b